



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 7. An Matrimonium validè contrahitur per Procuratorem, & inter
absentes?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse. Sed addit ea semper fuisse ab Ecclesia prohibita. Sunt etiam juxta præceptum divinum honorandi parentes, nisi ipsi suum consensum rogati, sine justa causa denegent, ita ut non sint rationabiliter invitati.

Porro in Gallia Matrimonia sine consensu parentum contracta, non censentur invalide contracta, nisi quoad aliquos effectus civiles, ut declaravit Ludovicus XIII. & habetur in Actus Cleri Gallicani Tom. III. Imò valent etiam quoad illos, si Filii familias excedant annos 30. & filia 25. modò scriptis requisierint consilium parentum, ex edicto Henrici II.

Q. 7. *An Matrimonium valide contrahitur per Procuratorem, & inter absentes?*

Resp. Aff. Quia 1. Ecclesia sic contrahi permittit, ut patet ex praxi præsertim inter Principes. 2. Alii contractus valide fieri possunt inter absentes per Procuratorem vel per litteras: ergo & Matrimonium; nam Christus evehendò contractum Matrimonii ad rationem Sacramenti, nihil immutavit de natura contractus. 3. Sic valide contrahebatur ante Trident. ut patet, ex c. ult. de Procurat. in 6. ubi Bonifac. VIII. id expressè declarat. Trident. autem non irritavit, nisi Matrimonia clandestina: at ea, quæ per Procuratores fiunt coram Parocho & Testibus, non sunt clandestina.

Sed ex eod. c. ult. de Procurat. in 6. ad tale

Matrimonium tria requiruntur. 1. Ut Procurator ad hoc habeat mandatum speciale. 2. Ut Procurator alium sibi non substituatur, nisi hoc ei sit specialiter commissum. 3. Ut Procurator, antequam contraxerit, non fuerit à Domino revocatus: alioqui Matrimonium nullum est, etiamsi tam ipse quàm pars, quacum contrahit, revocationem ignoret: quia tunc deest consensus illius, cujus nomine Procurator contrahit; qui consensus suppleri non potest à Jure in Matrimonio, sicut potest suppleri in aliis contractibus; nam alii contractus per procuratores facti valent etiam revocato mandantis consensu: modò revocatio neque procuratori neque parti innotuerit, l. 15. ff. *Mandati*. post Trident. autem requiritur etiam præsentia Parochi & duorum testium.

Hinc Sponsi debent curare ut sint in statu gratiæ, dum per Procuratorem contrahunt; cum Matrimonium validum inter Baptizatos sit Sacramentum.

Item valet Matrimonium per litteras contractum; modò coram Parocho & testibus legantur literæ significantes utriusque consensum de præsentia, de quarum veritate satis illis constet: nam contractus sic facti valent. Hic tamen contrahendi modus non est usurpandus sine gravi necessitate, quæ rarissimè potest contingere: qui autem sic contraxerunt, postea coram positi contractum ratum habeant, ne fortè consensus ab alterutro fuerit revocatus.

Q. 8.